



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 117. Exercitiorum spiritualium liber a S. Ignatio compositus denuo impugnatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

§. CXVII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1553.

*Exercitationum Sacrarum liber a D.**Ignatio conscriptus denuo in His-
spania impugnatus.*

Rursus hoc anno nova fuscitabatur tempestas aduersus Spiritualium exercitationum librum, quem D. Ignatius composuit; quippe Thomas Pedroccius hunc librum ad Toletanos Inquisidores in Hispania deferebat, plures exhibens propositiones, quas ex hoc libro decerpitas affirmabat, illasque velut temerarias, piarum aurium offensivas, ac manifestis hæresibus repletas, necnon censura dignas denuntiabat. Percepta hac accusatione, auditoque Universitatis Salmanticensis consilio tres nominantur Doctores, qui librum examinarent, ac desuper suum judicium ferrent. Hi tres erant Alphonsus Vergara, Conchenensis Canonicus, Joannes Costa Doctor, & Bartholomæus Torres, seu de Turre, qui duo postremi postmodum ad Episcopatus nominabantur, & prior quidem Legionensis, posterior autem Canariensis renuntiabatur Episcopus. Porro cum Bartholomæus in favorem harum exercitationum peroraret, ab ulteriori quæstione cessatum est, atque ipsimet Inquisidores postea hunc librum egregie a calumniis vindicabant.

Zz 5

§. CXVIII.